

III. Acceptio Imaginis DEI Ecclesiastica, quæ pro ipsis animæ facultatibus sine Scripturæ fundamento sumitur, plus in Theologia semper turbavit, quam profuit.

IV. Non dari possunt pura naturalia, sive quæ rebellionem ponant in homine virium superiorum & inferiorum, sive quæ positâ earum concordiam mysteriorum notitiam excludant. Joh. V. 23.

V. Gratia Divina & inhabitatio SS. Trinitatis in primo homine non supernaturalis, sed naturalis fuerat, quippe imaginem Divinam indivulso nexu consequens. Osiander.

VI. Non neganda tamen sunt primo homini dona alia, supra naturam posita, revelatio imprimis extraordinaria & quæ ei erant connexa. Gen. II. 16. s.

VII. Ut cani sagacitas naturalis est, quia tali animali & ad hunc finem, utpote investigationem ferarum, destinato naturaliter debetur, qui tamen amissâ per casum sagacitate canis esse non desinit: ita planè de imagine Divinâ respectu primi hominis sentiendum dicendumque est.

VIII. Sacrificia in statu integritatis locum non habuissent.

IX. Non poterat primus homo cum qualitatibus *δυσχεροσία* creari, quia hæc eundem ad varias inordinationes sollicitasset.

X. Nec quisquam à primis hominibus poterat generari deformis, quia omnis deformitas est ex *δυσχεροσία*.

XI. Arboris vitæ usus, æquè ac reliquorum alimentorum, non arguebat internum in homine moriendi principium, nisi ab externo remedio impediretur.

XII. Arborem vitæ & arborem scientiæ boni & mali à Diabolo ita cognominatas fuisse, à falso iisdem adscripto effectu, ut de utraque olim D. Seb. Schmidius, de posteriori recentissimè G. Nichollius, Anglus, sensit, ob simplicitatem literæ, Gen. II. 9. non est probabile.